

bertinis in Dominorum manumissionem tenderet præjudicium, ideo jus Patronatus in obsequiis & operis præstandis potissimum consistens illis saluum & integrum reservavit in .d. Nov. 78. c. 2. & fin. V. Petr. Gregor. *syn. jur. univ. lib. 14. c. 3.* Dn. Strauch. *diff. Just. 1. th. 21. & seq.*

TIT. VI. CUI
ET QUIB EX
CAUS. MA-
NUM. NON.
LIC.

XXIX. Cæterum de ipsa manumissione modisq; quibus ea expeditur, & effectu illius difformi dictum hucusq; ; De personis quoq; manumissionis actum exercere valentibus sollicitus est Imperator. Et merito. Sicut enim aliis Domini in rebus acquirendis & alienandis secundum præscripta legalia procedere necesse habent; ita & illæ demum manumissiones servorum firmæ ac validæ censendæ, quæ contra legales non sunt factæ interdictiones. Et licet earum quam plures in jure nostris reperiantur, utpote, si relegatus in urbe moratus sit, aut servus Dominum ad manumissionem sui ipsius expediendam coegerit, aut ea lege venierit, nè manumittatur *l. 29. pr. & §. 1. π. qui & a quibus manum. lib. non sunt*, primariæ tamen manumissionum prohibitiones L. Æliæ Sentia & Fusiæ Caninia introductæ ac fundatæ. Primum de Lege Æliæ Sentia dicendum; cujus duo sunt capita. In primò manumissio in fraudem creditorum facta pro invalida ac ipsò jure nulla reputatur. Licet enim aliarum rerum alienatio in fraudem etiam Creditorum facta ipsò jure subsistat, & mediante actione Paulianâ rescindenda & revocanda sit §. 6. *Inst. de act.* Secus tamen cum libertate semel concessâ res comparata. Cum enim ab alterâ parte libertatis favor exigat, ut ea semel ex causa etiam falsâ, concessa nequaquam revocetur *l. 9. §. 1. π. de manum. vind. l. 20. & 26. C. de liber. caus. §. 6. Inst. h. l.* ab alterâ vicissim minus æquum Romanis visum fuerit, creditores in revocandâ libertate, ceu re admodum favorabili frustra laborare; ideo satius dixerunt, initio statim hanc manumissionem ita inhibere, ut si ea de factò facta fuerit, ipso jure nulla & invalida declarari debeat. Cum enim es contra diserram L. Æliæ Sentia prohibitionem concessa, idcirco juxta *l. 5. C. de LL. & arg. l. 6. π. qui satisf. cog.* merito pro infectâ habetur. Et ea propter Imperator in *pr. nostr.* expressè constituit, ut manumittentem nihil agere i. e. manumissorem finem, quem manumittendo sibi proposuit, non assequi, sed manumissionem nullam esse & per-

inde

Primum L.
Ælia Sentia
caput.